

Dissertatio Academica,  
Brevem Conspectum Oeconomiae  
Fennicae usque ad tempora  
Regis GUSTAVI I:mi,

Exhibens,

Quam

Conf. Ampl. Senat. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

Publico examini modeste subjiciunt

JOHAN. NICOL. SNELLMAN,  
Phil. Mag.

Et

HENRICUS VÖRLUND,

Stipend. Reg. Ostrobotnienses.

In Auditorio Majori die XII Junii MDCCXCIII.

h. a. m. c.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

IN SACRAM  
REGIAM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
GUBERNATORI SATRAPIÆ WASENSIS  
NEC NON  
EQUITI REGII ORDINIS DE STELLA POLARI  
SPLENDIDISSIMO,  
GENEROSISSIMO DOMINO,  
*D:no ADOLPHO TANDEFELDT,*  
MÆCENATI MAXIMO.

**N**on arrogantiæ cuidam, sed pio gratissimoque sensu fa-  
voris, quem largissimum amplissimumque mihi a tene-  
ris inde annis benignissime præstitisti, VIR GENEROSISSIME,  
tribuas, quod tenue hoc opusculum ILLUSTRI NOMINE TUO  
decorare ausus sim; quod si serena exceperis fronte, au-  
toremque TUÆ in posterum etiam clientelæ adscriptum, patro-  
cinio TUO beare digneris, habebit quod in parte felicitatis  
præcipua ponat, cujusque sensu & cogitatione verissime &  
maxime laetabitur; ad cineres usque permanfurus

GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

eulor devotissimus  
JOH. NICOL. SNELLMAN.



## S. I.

Oeconomiam Fennicam non nisi lente ac pedentim, interjectisque haud brevibus temporum intervallis, illud attigisse fastigium, ad quod jam evecta est, cuique non in Historia minus Fenniae nostrae, quam in ipsa scientia Oeconomico vel mediocriter versato, non difficulter patet. Præterquam enim quod mores, totaque in universum vivendi ratio incolarum antiquissimorum Fenniae, inculta atque aspera, nullum magnopere studii Oeconomici progressum atque perfectionem admittebat; ipsum quoque Oeconomiae studium, utpote praxi experientiaque diuturna præcipue fundatum, tractum temporis longiorem desiderat, antequam ad culmen aliquod evehi possit. Quod idem de Fennia nostra in primis valet; ubi scilicet coeli temperies frigidior acerbiorque, cum exquisitiorem diligentioresque præceptorum Oeconomicorum observationem, tum longiorem quoque usum & experientiam, ni omnis laborem frustrabitur effectus, requirit.

A

Ve-

Verum quidem est, multa adhuc esse emendanda,  
 multaque præjudicia opinionesque falsas incolis eri-  
 piendas, priusquam ad summum florem Oeconomia  
 nostra pervenire possit; haud tamen simul negandum,  
 eam recentiori in primis ævo in tantum fuisse excul-  
 tam atque auctam, ut Oeconomiam majorum nostro-  
 rum, Fenniam olim habitantium, mirum quantum  
 supereret: id quod tam ex Historia Patriæ nostræ,  
 quam instituta comparatione Oeconomiæ Fennicæ an-  
 tiquioris, cum hodierna, facillime patet. Unde simul  
 eluet, quasi periodos quasdam præcipuas Oecono-  
 miæ Fennicæ exstissee, per quas scientia Oeconomicæ,  
 latius sensim latiusque per Fenniam diffusa, ad illud  
 sensim erecta fuit fastigium, quod nostro jam tempore  
 attigit. Quatuor autem haud immerito, præcipuae  
 constitui possunt hujusmodi Periodi; quarum prima  
 complectitur tempus ante Fenniam a Svecis subje-  
 etam. Secunda a Svecorum atque Religionis Chri-  
 stianæ constituto in his oris imperio (circa a. 1156  
 vel 1157) ad Regem GUSTAVUM I:um fere extendit,  
 tempusque sub se comprehendit fidei Romano-Catho-  
 licæ apud nos prævalentis. Tertia a tempore Regis  
**GUSTAVI** I:mi ad pacem Neostadiensem (a. 1721 factam)  
 progreditur. Quarta denique ab hac pace ad nostra  
 usque tempora porrigitur. Quarum Periodorum du-  
 as solummodo priores, quæ tempora Regis **GUSTAVI**  
 I:mi antecesserunt, breviter, in quantum de Oeco-  
 nomia temporis adeo obscuri caligineque spissa cir-  
 cumfusi, aliquid indagare licuit, spectare, primasque

tantum Oeconomiæ Fennicæ iis temporibus, quasi lineas ducere, animus est. Tuam vero L. B. benignam in juvenilibus hisce conatibus nostris dijudicandis examinandisque, censuram, qua par est modestia, expetimus.

## §. II.

Cognitio nostra de Fennia, ejusque cum Oeconomia, tum reliqua, temporibus hisce remotissimis, condicione, valde manca est atque imperfecta; nec nisi per conjecturam atque ex iis vestigiis morum, quæ hinc inde colligi possunt, linguæ etiam Fennicæ o-  
pibus in subsidium assumitis, qualis fuerit gentis nostræ cultura, & victus vivendique ratio, indagare licet. Tempus itaque hocce Oeconomiæ Fennicæ obscurum atque ἀδηλον haud immerito appellari potest. Natio Fennica, artis scribendi ignara, nulla monumenta Oeconomiam suam vitæque modum illustrantia, posterrati tradidit. Narrationes Fennorum antiquæ, ut pote litteris non consignatae, sed memoria tantum retentæ, tractu temporis longiore, evanuerunt. Primi post Fenniam a Svecis subactam, religionemque Christianam inductam, temporibus, nulla magnopere ab advenis in Fenniam Svecis monumenta, Oeconomiam gentis devictæ illustrantia, consignata sunt, & quæ eorum adhuc restant, nihil continent nisi miserias Sanctorum legendas, brevesque narrationes rerum, Monachis in primis memorabilium visarum. Obser-

vationes de cultura, vivendi ratione, & Oeconomia Fennorum, ab iis haud sunt exspectandæ (a).

### §. III

Supereft tamen, ut jam monuimus, fons, unde conjectura de Oeconomia vivendique ratione Fennorum, ante Svecorum ad has oras adventum, aliqua capi potest: Linguam ipsam puta Fennicam; quæ accurate & attente consulta, haud levem Fennorum priscorum, dum sui adhuc effent juris, Oeconomiae lucem affundit. Ipsa scilicet linguæ Fennicæ confideratio docet, majores nostros sedes quidem stabiles, domos & pagos habuisse; urbium vero, & quæ ad illas pertinent, cum nullæ exftent appellations, Svecorum adventu antiquiores, nec vocabula illas spefantia, nisi a Svecis manifesto mutuata Fenni habent, hinc efficitur, Fennos ante agnatum Svecorum imperium, in Urbes Civitatesque nondum coiisse, sed vitam degisse rusticam, & aut sparsa habuisse domicilia, aut in pagos tantum quosdam fuisse congregatos. Ac probabile est, Fennos usque ad Svecorum adventum in libertate naturali vixisse, nec nisi seniorum auctoritati, ubi opus effet, nulli vero imperio, multarum aliarum barbararum more gentium, paruisse. Principum enim aut Regum cum nulla occurant in lingua Fennica vocabula, nisi a Svecis mutuata; hoc in-

---

(a) Cfr. *Juusteni Chron. Episc. Finlandens.* a *Celeb. Prof. Porthan* illustratum, pag. 58, sqq.

dicio est, Patres modo familias senioresque, quadam  
 inter eos auctoritate eminuisse. Copia præterea vo-  
 cabulorum indigenorum (quibus affinia in Dialectis  
 quoque reperiuntur nationum aliarum, Fennis nostris  
 cognatarum) vestes, supellectilem & instrumenta va-  
 riis vitæ humanæ usibus necessaria, designantium,  
 Oeconomiam vitæque cultum inter majores nostros  
 haud plane fuisse neglectum, ostendit. Si enim a  
 Svecis istarum rerum cognitionem usumque accepis-  
 sent, haud dubie vocabula quoque illarum, ut multa-  
 rum aliarum rerum ab iisdem mutuati fuissent. A  
 gricolam præterea, antequam ad has oras trajecerunt  
 Sveci, fuisse gentem Fennicam, docet magna vis no-  
 minum ad rem agrariam pertinentium, vernaculorum  
 & plane indigenorum. Inprimis in agriculturæ illo  
 genere quo sylvarum exustarum cineri semina com-  
 mittuntur, majores nostros jam antiquitus peritiam  
 comparasse, indubium est. Copia vocabulorum ver-  
 naculorum hancce operam spectantium, abunde do-  
 cent, gentem ipsam non heri demum aut nudius ter-  
 tius, sed ab antiquis retro temporibus, & jam ante  
 Svecorum ad has oras adventum, agrorum cerealium  
 que cultum didicisse. Neque rem pecuariam a Fen-  
 nis antiquis prorsus fuisse neglectam, docent nomina  
 numerosa pecoris curam, & varia pecorum genera  
 significantia. Metalla quoque varia, eorumque usum  
 Fennis aliquatenus fuisse notum, copia vocabulorum  
 indigenorum hujus quoque generis res spectantium  
 evincit. Ferri in primis minera, ut paludes & lacus

6

Finlandiæ haud pauci abundant, ita illud fundendi tractandique artem Fennos olim exercuisse, probabile est. Majores præterea nostros, ante Svecorum adventum non omni Mercaturæ genere caruisse, non modo vocabula eorum vernacula produnt, sed interdicta etiam severè a Pontificibus Romanis (in favorem coloniæ Svecanæ nuper tum in has oras traductæ) mercatoribus Wisbyensibus &c. cum paganis Fennis eorumque vicinis & sociis commercia, abunde confirmant (*a*). Ex paucis itaque hisce, quæ de Oeconomia Fennorum temporibus istis obscuris caligineque circumfusis, colligi possunt, efficitur, gentem Fennicam aliquales tamen, pro situ atque conditione rerum suarum, jam ante Svecorum adventum in Oeconomia fecisse progressus, neque barbaram prorsus atque rudem fuisse (*b*).

#### §. IV.

Sed ab obscuris hisce temporibus, ad periodum Oeconomiae Fennicæ sequentem, quæ tempus complectitur Religionis Romano-Catholicæ per Fenniam dominantis, atque ad Regem GUSTAVUM I:mum sese extendit, breviter spectandam, jam progrediamur.  
Prius

---

(*a*) Cfr. *Juusteni Chron. Episc. Finlandens.* supra laudatum p. 91 sqq. & p. 101, not.

(*b*) Cfr. *Juusteni Chron. Episc. Finlandens.* pag. 63 sqq. ubi de scriptio uberior, status & conditionis Finlandiæ his temporibus, occurrit.

Prius vero quam ad pauca illa quæ de Oeconomia Fennica hujus ævi constant, consideranda nos conferamus, quædam de influxu novæ Religionis, doctorumque nuper advenarum in Oeconomiam majorum nostrorum culturamque terræ nostræ monere, haud abs re fore putamus. Postquam nempe Religio Romano-Catholica ab advenis Svecis, incolis Fenniae fuit obtrusa, Fennia nostra Papæ Romano, Sacerdotibusque suis tributaria fere facta est. Quibus tributis, gravibus sane, singulis annis solvendis, non potuit non terra nuper devicta graviter premi atque affligi, præfertim cum Templæ quoque permulta quibus abundavit ætas Catholica, nec non Monasteria aliquot, sumtibus incolarum ad Christianismum nuper perductarum, ædificanda atque exstruenda essent. Vulgus præterea credulum & ignarum, existimabat se salutem æternam non alio modo certius quam donationibus ad Templæ & Monasteria factis, promereri posse; quo factum est, ut Templæ, Monasteria & Sacerdotes, magnam prædiorum vim, atque haud minimos terræ nostræ redditus sibi compararent, non sine magno incolarum indigenarum detrimento. Hæc autem quamvis ita sint; non tamen negandum est, Sacerdotes etiam, tempore dominantis religionis Pontificiæ ad culturam terræ Oeconomiamque promovendam, aliquid contulisse. Religionis ritus peragere, ejusque præcepta auditoribus inculcare, primaria eorum non semper erat cura, sed ingens quoque studium ad agriculturam, rem pecuariam, venatum, pescaturam, totam-

totamque in universum Oeconomiam promovendam atque augendam, multi contulerunt. Quo enim Auditores sui opibus plus valebant, opulentioresque erant, eo uberiores redditus decimasque ab iis reportabant; quare etiam de Oeconomiae studio inter eos promovendo, merito erant folliciti. Ipsi præterea Templis, Monasteriis, Sacerdotibusque, permulta subjecta erant prædia, quæ bene excoli, ipsorum intererat; incolis vero, agricultura peritior in prædiis sacerdotum adhibita, exemplo fuit, eosque ad idem tentandum, idemque Oeconomiae studium urgendum, haud raro permovit. Quo factum est, ut cultura terræ & Oeconomiae studium cresceret, ac latius latiusque per Fenniam nostram sensim diffunderetur. Sed ad Oeconomiam Fennicam, in quantum aliquid de ea, tempore hocce tenebris sat densis adhuc obducto, indagare licuit, proprius considerandam, nos jam conferamus.

## §. V.

Post Svecorum ad has oras adventum, Fenniamque imperio eorum subjectam, vastis eam adhuc diu silvis fuisse obiectam, certum haberi potest. Inprimis autem hoc de regionibus Fenniæ nostræ borealioribus & remotioribus, Ostrobotnia, Savolaxia, & parte Tavastiæ valere, existimandum est. Unde & loco reddituum five decimarum Episcopo debitaram, quatuor pelles (Sciurorum an Erminearum?) quemque five Patrem familias, five virum adultum in Tavastia

9

stia, pendere jussum fuisse novimus (a). Hinc optime patet, Fenniam nostram, quamvis quibusdam locis iis temporibus jam non impigre exultam, atque incolis frequentatam, in universum tamen & quoad maximam partem valde adhuc fuisse desertam & incultam. Neque existimandum est, silvas densas, per plurimas Fenniae regiones occurrentes, cito admodum potuisse excidi, & in agros prataque fertilia, hominibusque alendis idonea, converti. Id quod vel inde patet, quod Episcopus Aboënsis *Magnus*, iter facturus inter parœcias Sysmå Tavastiae, & Sawlax Careliae, (Savolaxiae) per spatium XVIII milliariorum (antiquorum), adhuc circa medium seculi XVII milii, nisi desertum prorsus incultum incolisque destitutum, peragrare, & ingruente nocte in terra nive obducta, vel in glacie cubare, necesse haberet (b). Cujus quidem regionis maximam partem nostro ævo cultam jam esse, constat. Multæ præterea aliæ regiones Fenniae, in primis borealiores, quæque jugum illud montium, (Landtryggen), quod Ostrobotniam a reliquis Fenniae regionibus dirimit, attingunt, tempore religionis Romano-Catholiceæ, parum exultæ, & incolis habitatae, Lapponumque fere domiciliis inserviisse, videntur. Id in primis valere de tractu eo Fenniae ubi nunc

(a) Cfr. *Juustegi Chron.* Episcopor. p. 122, & *Bihang til Åbo Tidn.* 1785, p. 126.

(b) Cfr. *Bihang til Åbo Tidn.* 1785 p. 57, ubi occurunt litteræ R. *Christophori* a. 1442, de ea re datae.

sunt parœciae Rautalambii, Laukas, Wiitasaari,  
 Saarijärvi, Keuru, Ruovesi, & aliis permultis Ostro-  
 botniæ borealioris regionibus, plurimis evincitur ar-  
 gumentis (c). Probabile vero est, agriculturam in ma-  
 xima parte ditionis Aboënsis (d) & ei proximis locis  
 ditionis Björneburgensis, in Nylandia, ac parte Tava-  
 stiæ austrum versus spectante, ab antiquis retro tem-  
 poribus floruisse, terramque istam, tempore dominan-  
 tis religionis Romano-Catholicæ non negligenter fuisse  
 excultam. Magni scil. pagi, prædia valde sibi conti-  
 gua, Templa permulta & antiqua, ignorantia non con-  
 stitutorum minus plerorumque prædiorum, quam ex-  
 structorum Templorum, & alia indicia, ostendunt  
 haec loca maturius jam fuisse exculta & habitata, pri-  
 misque jam post religionem Christianam inductam tem-  
 poribus, incolis frequentioribus instructa, docent.

## §. VII

Maxima Fenniae nostræ, in primis autem regio-  
 num Savolaxiæ & Ostrobotniæ borealioris pars, cum  
 filvis hacce adhuc periodo densis esset obiecta; per se  
 patet, venatui & piscaturæ, (in primis salmonum, in  
 fluviosis majoribus Ostrobotniæ oram perrumpenti-  
 bus) præcipue harum regionum incolas studuisse: id  
 quod ex edictis quoque de ratione pendendarum in  
 his

(c) Vid. Tractationes in *Novellis Aboënsi*, passim occurren-  
 tes de parœciis *Keuru*, *Ruovesi*, *Wiitasaari*, *Saarijärvi*.

(d) Cf. *Fuusteni Chron.* p. 246, not.

his tertis decimarum, elucet. Adhuc enim superest  
edictum Regis Magni, & Episcopi Hemmingi? de ratio-  
ne pendendarum decimarum incolis hujus regionis a.  
1335 missum (a), unde discimus, non potuisse in O-  
strobothnia boreali Curiam Presbyterialem (Prästebord)  
præsentim quod ad agros attinet, Curato præstari, at  
hunc redditus suos præcipue in pellibus & carne fera-  
rum, avibus, vitulis nangiferorum, phocis, piscibus, fæ-  
no & butyro perceperisse. Id quod satis superque docet,  
frumenti copiam, incolis harum regionum haud sup-  
petuisse, adeoque agriculturam parum inter eos fuisse  
tractatam; sed Oeconomia & vivendi ratione proxime  
ad Lappones accessisse. Succedente autem tem-  
pore, silvas multas sensim excisas, agriculturamque  
auctam fuisse, probabile est. Nec eam rem summi  
Magistratus curam publicam effugisse, reperimus.  
Quæ sententia eo majori veritatis luce radiat, quo  
apertius litteræ R. Birgeri ad Præfectum Finlandiæ  
*Nicolaum Andreæ* a. 1303 datae, docent, de Tavastia  
(desertiore sc. ejus parte, vel ab hostibus crudelius  
olim vastata) excolenda, novisque agris & prædiis  
(vastarum silvarum loco) augenda, eo jam tempore  
fuisse laboratum, (b). Similis fere consilii fuere lit-  
teræ

B 2

teræ

(a) Occurrit in *Novell. Aboëns.* 1785 N:o 12 & *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 59, 60.

(b) Ipsas litteras exhibet *Jo. Alb. Fabricius*, in *Auctario Diplomat. Lindenbrogi* Scriptor, rer. Germanicar. Se-  
ptentrional. adjuncto, p. 188.

teræ Regis *Magni*, a. 1334 Fenniæ incolis datæ (c), in quibus colonis hujusce regionis permittit, ut quidquid præter agros, quos jam possidebant, sibi acquirere possent, per quatuor sequentes annos ab omnibus tributis Regi solvendis, immune esset. Rex, motus scilicet iis calamitatibus quæ istius terræ incolas ad paupertatem fere redegerant, hoc gratiæ & benevolentiae suæ documento eos ornare voluit. Sucedente deinde tempore, non omnino nullam Finlandiæ curram Reges gesisse, ex mandato Regis *Erici XIII:ti*, (Pomerani) a. 1411 dato, patet, quo *Nicolao Lydikini* Præfecto Aboënsi, potestatem concessit sylvas & terras publicas (per totam Finlandiam dispersas) inter privatos agricolas, qui eas excolere vellent, dividendi (d). Accedit alterum quoque edictum ejusdem Regis (e), quo consilium approbavit atque confirmavit *Waldemari Diekn*, Præfecti Tavastensis, qui silvas atque agros incultos, prædiis ad quæ hactenus pertinuerant ademtos, aliis colonis distribuerat; caveri tamen simul Rex prudenter jussit, ne hac re pernicies veteribus colonis acceleraretur. Plerumque tamen a Regibus peregrinis, Sveciæ thronum versus finem seculi XV:ti occupantibus, nihil magnopere de Oeconomia Fennica adjuvanda, culturaque terræ promoto-

(c) Vid. *Bihang til Åbo Tidn.* 1785 p. 111 — 115.

(d) Cfr. *Novell. Aboëns.* a. 1784, N:o 47.

(e) Cfr. de Regis hoc editio, *Lagerbring Sw. R. Hist.* IV Del. C. I. §. 10. p. 26

movenda, cogitatum fuit. Observavimus autem merito, bella & incursionses Russorum hostiles, hisce temporibus sat frequentes, quibus magnos terræ nostræ tractus subinde vastabant, miserosque incolas graviter afflige- bant, non potuisse non Oeconomiæ studio, culturæ que terræ nostræ, vehementer nocere, gravissimaque iis opponere impedimenta. Attamen postquam di- scesserunt hi barbari, & pax, (licet nunquam satis fi- da) cum iis renovata esset, incolæ Fenniæ rursus sibi prospicere, culturæque terræ suæ invigilare, incep- runt. Quod ad Tavastiam quidem attinet, a. 1334 floruisse ibi quodammodo agriculturam necesse est; quoniam in litteris eodem anno datis (*f*), Rex *Magnus* & Episcopus Aboënsis *Benedictus* Tavastis seve- re injungunt, ut decimas frumenti sacerdotibus sol- vant: id quod satis indicat Fennos haud levem jam tum agriculturæ operam navasse. Agriculturæ ta- men genus, quo hocce ævo præcipue utebantur Fen- ni, in primis a Pagis populosioribus remotiores, ple- rumque (ut jam supra indicavimus) in eo positum fuit, ut sylvis prius exustis, semina deinde cineri commit- terentur. In Savolaxiæ quoque parte, agriculturam hisce temporibus usitatam jam fuisse, ex litteris Re- gis ejusdem *Magni Erici* f. ad incolas hujus provin- ciæ a. 1329 datis (*g*), elucet; ubi eos morem in de-

(*f*) Vid. Bihang til Åbo Tidn. 1785 p. 122 sqq. & *Re- gistr. Eccles. Aboëns.* fol. 5.

(*g*) Vid. Bihang til Åbo Tidn. 1785 p. 118 & *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 7.

cimis solvendis, vicinis suis in Tavastia receptum, se-  
qui jubet. Idem itaque Oeconomiae genus, eandemque  
vitæ rationem, in Tavastia & Savolaxia iis temporibus  
usitatam fuisse, probabile hinc videtur.

§. VII.

In regione Carelica incolas venatu in primis vi-  
tam sustentasse, docet edictum Regis Magni Erici s.  
a. 1331 datum (*a*) quo conventionem inter Episcopum  
Aboensem *Benedictum* & incolas Careliae factam, con-  
firmavit. Statuit autem hæc conventio, ut incolæ  
Careliae de quolibet fumo duas bonas pelles Episcopo,  
loco Decimarum Episcopaliū solverent; quod Ca-  
relios venatui diligenter studuisse satis docet. Ex qua  
simul conventione a Rege confirmata, patet incolas  
Nylandiæ & insularum oræ Finlandiæ objectarum,  
rem præcipue pecuariam coluisse, cum iis severè in-  
jungatur ut unam marcam butyri de quolibet capite vi-  
rili vel muliebris sexus, septimum ætatis suæ annum  
compleente, singulis annis Episcopo solverent. Litteræ  
quoque Beronis Legiferi, apud Nylandiæ insularum  
que Fenniæ australioris incolas idem studium usita-  
tum fuisse, confirmant (*b*). Distinctio incolarum Fen-  
niæ his temporibus in illos, qui *habitarent in jure Sve-  
cico* (quod alibi jus *Helsingonicum* dicitur), vel subditū

es-

---

(*a*) Cfr. *Vihang til Åbo Tidn.* 1785 p. 119, & *Registr. Eccles. Aboens.* fol. 7.

(*b*) Cfr. *Juusteni Chron. Episc. Finland.* p. 192, not. 56.

15

essent juri Helsingonico, ac illos qui in jure essent Finnonico, diversam spectare videtur tributa, cum Regi, tum Episcopo & Clero, solvendi rationem; quam pro Oeconomiae vario consilio aliam colonis Svecis, (maximam partem Helsingis, rei in primis pecuariae addictis), suorum scilicet conformem majorum institutis atque consuetudini, aliam Fennis, venatui & agriculturae (suo scilicet modo) deditis, fuisse hinc intelligitur. Ad prius genus pertinuere, ut hinc simul patet, incolae insularum Finlandiae australioris & terrae Nylandiae maritimae, qui originis essent Svecicæ, linguaque Svecana uterentur; ad posterius autem homines indigenæ, qui reliquas (in primis interiores) terræ nostræ partes incolerent.

### §. VIII.

Studium privatum Fenniae nostræ culturam augendi provehendique, primis jam post Fenniam a Svecis subactam temporibus inchoatum, nec sequenti tempore fuisse neglectum, vestigia docent haud obscura. Ita, praeter culta hic antiquitus cerealiuum genera (secale & hordeum) nova quoque plantarum, caulinum, & herbarum genera v. c. *Olus*, *Humulum*, *Cannabin*, *Linum*, &c. hisce temporibus in Fenniam introduci & colii cœpisse, discimus. Sic *Bingerus*, Arch. Episc. Upsaliensis, statuto a 1369 Aboæ dato (a) jubet *Decimas Lini*, *Cannabis*, *E* *Humu-*

---

(a) Cfr. *Vihangi til Åbo Tidn.*, 1785, p. 123.

*Humuli fideliter & devote persolvi.* Ac Bulla Papæ Benedicti XII in favorem Henrici Hartmanni Pastoris in Säxmåki, a. 1340 data, idem confirmat (*b*). Calcis quoque usum, ejusque domi inveniendæ parandæque industriam, exstructio non domorum minus privatuarum, in urbibus præcipuis, quam præcipue Temporum lapideorum passim per Fenniam, nostros docuit. Jam enim a. 1229 incolas quosdam parœciae Kimito, Montem Cementi Templo Cathedrali Aboënsi, pro fabrica sua dedisse, testatur exemplum litterarum ipsarum donationis, adhuc extans (*c*). Ac singulare quoque est, ex parœcia Kimito conductum a. 1466 fuisse murarium quandam ad fornicem Templi Cathedralis Aboënsis reparandum (*d*); id quod indicio est, in ista parœcia, utpote montium calcareorum ferraci, ejusmodi quoque extitisse opifices, quorum in calce tractanda & in ædificando scite adhibenda, opera versaretur. Hinc itaque quales Oeconomia Fennica hisce temporibus fecerit progressus, quidque in opificiis & artibus in vita humana maxime necessariis factum sit, colligere quodammodo licet.

### §. IX.

Incolas Fenniae nostræ in domibus ac partim pagis, ante Svecorum ad has oras adventum, habitas-

(*b*) Cfr. *Vihang til Åbo Tidn.* 1785 p. 124, not.

(*c*) Cfr. *Juusteni Chron.* supra cit. p. 226, not.

(*d*) *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 20.

*ita*  
*buisse*, supra jam monuimus; quem eundem postea etiam servabant morem. Fundos autem incolarum, sub haece jam Oeconomiae Fennicæ periodo, in multis suis portiones divisos, ac nonnisi communi quodam sepimento munitos, e variis documentis istius ævi evincitur (a). Quare more illo incommodo, portiones cujusque & ulnarum & perticatum ope definiendi, (efter stångfall), atque dispersis per totum agrum minutis segmentis, pro suæ possessionis magnitudine cuique assignandi, (Tegskifte), usos fuisse, reperimus. Discrimen porro illud celebre inter prædia libera (s. equestria), & tributaria, medio jam seculi XIV:ti in Fenniam quoque inductum fuisse, reperimus. Quod ad ipsam agriculturam attinet, primis quidem ab adventu Svecorum temporibus, antiquum illud suum agriculturæ genus, quo scilicet sylvarum exustarum cineri semina commitebantur, plerique majorum nostrorum sine dubio retinebant; succedente vero tempore, cum sylvæ sehsim exciderentur, frequentiaque incolarum major oriretur, agris certis perpetuisque colendis, operam navare cœperunt. Neque tamen hancce agriculturam ad artis præcepta adhuc fuisse exactam atque institutam, facile intelligas. Sollertia vero fossis agrum debite exsiccandi, haud communiter fuisse adhibitam, facile

C

cre-

---

(a) Vid. e. g. litteras venditionis prædii *Rungo*, a. 1458 consignatas, in *Registr. Eccles. Ab.* fol. 231 occurrentes. Cujus generis plures idem testantes, aliis passim, locis, occurrunt.

credas; quæ negligentia in Tavastia & parte Nylandæ, adhuc obtinet. Prata incolas possedisse, itidem reperimus: quæ non tam ex spatio terræ (nulla fere industriæ ope adjutæ) quam ex proventus anni copia metiebantur ac æstimabant: quare prata tot *Plaustrorum*, in monumentis commemorari videas. *Piscaturæ* diligentem incolas, quibus hæc contigit opportunitas, operam navasse, varia ostendunt documenta. Tam in lacubus ea ætate valde piscoesis, quam in fluviis, præsertim majoribus, Fenniam tam borealem quam australē secantibus, piscatura salmonum copiosissima fructuosissimaque erat, materialisque mercaturæ, haud contemnendam præbuit: quare Episcopos Aboënses sibi sensim has piscaturas salmonum vindicasse, reperimus, quod lites agitatæ de piscoandi hoc jure in fluvio Kumoënsi, Kymmenénsi, &c. satis demonstrant; ac conventio inter Episcopum & Curatum in Kemi, quam Registrum Eccles. Aboënsis nobis servavit, abunde confirmat (*b*). Eandemque obcaussam inter signa favoris quæ Fratribus Padisensibus Rex *Magnus Erici* dedit, piscaturam salmonum in fluvio Helsingensi, iisdem concessam reperimus (*c*). Cæterum qui in regionibus interioribus capiebantur pisces, maximam partem, ex inopia salis, (cujus pretium aviditas Mercatorum Germanorum im-

(*b*) Cfr. *Juusteni Chron.* supra cit. p. 375, not. & *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 60.

(*c*) *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 72.

maniter augebat) exsiccati, ad oram maritimam urbesque vendendi hieme proxima advehabantur, & uon contemnendam mercaturae nostratium materiam suppetebant.

§. X.

Primit scilicet post Fenniam a Svecis subactam temporibus, existimandum quidem non est mercaturam hisce in regionibus magnopere floruisse; nullæ enim adhuc conditæ erant urbes, præcipuam commerciis quasi vitam conciliantes. Sed neque tamen prorsus nullam mercaturæ exercendæ impensam fuisse curam, docent cum res ipsa, vitæque civilis necessitates evincunt, tum vestigia non obscura, in veteribus monumentis reperienda produnt. Sic privilegia, quibus homines Ostrobotniæ meridionalis littora habitantes, a Rege *Magno Erici* a. 1348 aucti sunt, aperte hanc rem loquuntur. In illis enim privilegiis harum regionum incolis jus concedebatur, vendendi & emendi invicem, per totam Ostrobotniæ oram (quæ sc. urbibus destituebatur) varia viæ ualua, secale, butyrum, & talia; quorum privilegiorum confirmationem deinde cum a R. *Erico* a. 1357, tum a R. *Alberto* a. 1365, naucti sunt. Succedente porro tempore, cum sensim effloresceret urbs Aboënsis, quæ brevi totius Finlandiæ Metropolis evasit, atque ubi per totam hanc periodum præcipuam Mercatura Fennica sedem habuit, aliæ etiam quædam urbes minores orientur, (inter quas in primis eminuit Viburgum), mercaturam

lætius promotam & auctam fuisse, promum est ad intelligentum. Urbis quidem Aboënsis ineunabula initia fere Christianismi in Finlandia attigisse, probabile est: nec Viburgum diu post Careliam subactam arceisque ædificatam exsurgere cœpisse (situ loci in confinio Russæ, ubi Novogrodenses mercaturam vehementer provexerunt, positi, valde favente), certum est (a). Caeteræ urbes nostræ antiquiores, serius ortæ sunt. Sic probabile non est urbem Borgoënsem circa a. 1350, quando Rex *Magnus Erici* jus patronatus in parœciam Borgoënsi Monachis Padisensibus dedit, adhuc extitisse: quoniam nulla ejus in litteris illud jus spectantibus mentio occurrit. Sed anno 1424 Urbs illa jam fuit constituta atque habitata; fiquidem eo tempore Senatus Urbici in Borgo mentionem fieri, reperimus (b). Duæ præterea aliae antiquiores Fenniæ Urbes, Björneburgensis nempe & Raumoënsis, hacce jam periodo conditæ, mercaturæ promovendæ & augendæ non parum sine dubio inservierunt. Ante exstructam hodiernam urbem Björneburgensem, veterem aliam, alio loco extitisse, nomine Ulfoby appellatam (eodem quo parœcia circumiacens adhuc venit nomine), ex monumentis antiquis constat. Prima vero vetustioris istius urbis initia certo constituere, valde est difficile. Anno quidem jam 1410 judicii in urbe Ulfoby habití, mentio alicui-

(a) Cfr. *Juusteni Chron.* p. 312, sq.

(b) *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 133.

bi occurrit (*c*), adeoque jam tum hancee floruisse urbem, credere oporteret, si anni haec nota suspicione corruptionis careret (*d*). Multo serius a. demum 1558 JOHANNES III, Dux tum Fenniae, edictum de transferenda urbe antiqua Ulfssbyensi in locum aptiorrem, ubi nunc sita est urbs Björneburgensis, evulgavit (*e*). Existit vero sub nostra periodo adhuc quarta in Finlandia urbs, sedem mercaturae illa etiam sine dubio offerens, nempe Raumoënsis; quam non recentem esse, ac Monasterio ibi condito ortum debere, existimes. Prima tamen ejus ignoramus initia; at certum est, antiquissima ejus privilegia a. jam 1442 a Pro-Rege tum Sveciae Carolo Canuti data esse (*f*): quibus tamen antiquiorem urbem ipsam fuisse, probabile puttes. Mercaturam itaque Fenniae nostrae, sensim uribus hisce adjutam atque promotam, haud nullam prorsus aut contemnendam, versus finem vergente hacce periodo, fuisse, existimandum est. Observandum tamen, tempore dominantis Religionis Romano-Catholicæ, Lubecenses Germanosque alios, omne ferre, ut in tota Svecia, ita etiam in his oris, ad se traxisse ex mercatura (cujus maxime quæstuosam si-

C 3

bi

(*c*) Registr. Eccles. Aboëns. fol. 110.

(*d*) Cfr. Juusteni Chron. p. 418, not. 372.

(*e*) Ipsum edictum legendum exhibit Fortelius in Dissert. de primis initiis Björneburgi, pag. 13.

(*f*) Leguntur in Dissert. Om Sjöstaden Raumo, Aboæ a. 1770 a. Dno Melleno edita pag. 9.

bi vindicare noverant partem) proveniens lucrum. Quo factum est, ut cives mercatoresque urbium majorum, ut Aboënsis, hocce tempore, magnam partem inomines essent Germani: qui in ipsum quoque Senatum urbicu totidem quot indigenæ, Assessores eligendi, jus sibi comparaverunt. Unde patet, non tam nostrates, quam hos peregrinos, divitias ex nostris mercibus sibi peperisse. Ad has quidem, quæ in primis sub hac periodo referendæ sint, exactæ & proportione quarumlibet inter se simul indicata definiere, difficile fuerit; at probabile est, in pellibus ferarum, piscibus, varia lignorum materia, coriis peccudum, &c. ac etiam frumento, (cujus hoc tempore quoties sævitia annonæ non premebat, sat larga esset copia), constitisse. Pelles in primis ferarum in magno erant pretio, (in primis ratione habita rerum ad victum necessariarum (g)); quare etiam Episcopi & Sacerdotes, aliorum loco redditum, hujusmodi pelles per conventiones cum incolis olim, cum earum major copia esset, factas, libenter sibi stipulati sunt, ac deinde diligenter exigebant. Quod vero ad pecu-

---

(g) Ex quarum tamen, ut frumenti, vili pretio, cum recentioribus quibusdam scriptoribus, ad majorē illis temporibus quam hoc nostro, aut frumenti proventum aut agriculturæ florem, concludere minime licet. Cfr. Nabil. Botin Jämförelse emellan mynts och varerz värden i Sverige uti särskilda Eidehwärf. Präclare etiam Nabil. Sandels, Tal om förhållandet af varerz in och utsörelsel til och ifrån Sverige i särskilda Eidehwärf, p. 24 sq.

niam sub hacce periodo in Fennia nostra usitatam attinet, de ea ex illis quæ jam de mercatura a peregrinis præcipue exercitata, attulimus, conjectura quadanterus fieri potest. Ut ante Svecorum adventum permutatione mercatura fere apud nostros peragebatur, (si exiguum excipias nummorum copiam, quam a peregrinis, piratica maxime, acquirere fortassis valebant), ita hoc ævo in Fennia, ut in ipsa cui parebat Svecia, partim Svecicam, partim ac maxime peregrinam pecuniam in usu fuisse, per se patet. In primis autem ad Anglicum illud numorum genus quod *Nobiles*, *Nobulos*, vocabant, pretia cum mercium, cum ipsius pecuniae Svecicæ (varii ac decrescētis ferre semper, vitio imperantium valoris (*h*)), referebantur: itemque ad nummos Lubecenses & Revalientes &c.; quos apud nostros usitatos fuisse, reperimus. Postquam vero in urbe Aboënsi Officina monetaria, (medio circiter seculo XIV (*i*)) constituta fuit, domestica quidem pecunia adhiberi in commerciis illa quoque cœpit; sed neque admodum magnam ejus fuisse cuflam vim putamus, & brevi rarescere cœpisse, repe- rimus:

---

(*b*) Cfr. Nobil. *Botin* l. c.

(*i*) *Brenner*, *Thesaur. Numor. Sveogothi* p. 15. sq. Dn. *Lagerbring* ætate jam Reg. *Magni Ladulæ*, officinam monetariam Aboë fuisse, existimare videtur (*Sv. Hist. Hist. Del. 3. C. 7. §. 15*, p. 581); sed fatemur, hæc non esse certissima. Seculo vero XV quin numi Aboë euli sint, dubitari omnino nequit.

rimus, (unde hodieque rari omnes hi nummi sunt): ita ut ad priorem fere morem recurrere necesse fieret. Quin *Opificia* quoque varia simpliciora atque ad vitæ usus magis necessaria, ex<sup>+</sup> confluenti ad illas majore sensim incolarum numero, adjumenti multum habuerint, dubitari nequit: quorum alia inde ortum, alia majorem florem acceperunt. Sic in monumentis præter opifices vulgatissimos commemorantur Aboë habitantes *Guldsmed*, *Öfverstörare*, &c.: licet ob varia impedimenta maximeque Mercatorum peregrinorum atque in primis Lubecensium callida consilia, & exercitatam in hujusmodi rebus apud nos dominationem turpem, ad debitum perduci minime possent fastigium.

### §. XI.

Vitæ cæterum cultum, luxumque majorum nostrorum, hac sensim periodo auctum fuisse, haud difficulti assequi licet conjectura. Episcopos in primis atque Sacerdotes, ad luxum magnificentiamque inter incolas divulgandam, haud parum contulisse, vel inde colligere licet, quod hi plerumque splendorem magnificentiamque, cum in victu tum in amictu, totaque in universum vivendi ratione, pro facultatum modo libenter adhiberent; id quod ex historia mediæ ævi oppido patet. Testamenta quoque & alia monumenta hujus periodi, adhuc existantia (a), satis su-

per-

---

(a) Vid. e. g. *Test. Conradi Hartwigi t. in Novell. Ab. a. 1784, N:o 33*, obvium.

perque docent quam splendidus jam versus finem Religionis Romano-Catholicæ incolarum opulentiorum (si cum priorum temporum simplicitate compares), fuerit vitæ cultus; quam pretiosa & pro ratione istius ætatis exquisita fuerint varia supellecilia & res domesticæ, quantumque tota in universum vivendi ratio, a moribus Fennorum tempore adventus Svecorum rudibus adhuc atque asperis, degenerarit. Machinas præterea variis vitæ humanæ usibus inventes, hacce jam Oeconomiae Fennicæ periodo, in terra nostra notas fuisse, indubium est. Caetera ut omittamus hujus rei indicia, sufficiat modo notasse ex litteris antiquis constare Monachos de Molendinis in flaviis nostris construendis haud male meritos fuisse: sic Monasterium Aboënsis molam aquariam in amne Aboënsi prope Halis condidisse & possedisse, reperimus (b). Ac etiam in interioribus terræ regionibus (Satacundia, Tavastia, Carelia) exstructas eadem fere ætate, tales fuisse, videmus (c): nec dubitamus quin longe antea jam in usu fuerint (d).

D

Sed

(b) *Registr. Eccles. Aboëns.* fol. 92.

(c) Cfr. *Juusteni Chron.* p. 456, not.

(d) In vetustis litteris emtionis & venditionis seculo jam XIV scriptis, saepe fit mentio molendarum & locorum molendinis exstructis aptorum (*met quernum oquaerat adhuc*).

Sed plura de statu Oeconomiae Fennicæ hæc  
periodo afferre, vetant tenebræ illæ densæ, quibus  
res hujus ævi circumfusæ sunt; ac latius de allatis  
disputare, rei familiaris prohibet ratio: quare his jam  
subsistere cogimur.

